Relación de 31 [illegible]
[illegible] capítulos [illegible]
[illegible]
[illegible] en la [illegible]
[illegible] del [illegible] 1612
al 1773 [illegible]
[illegible]

FUE DESINFECTADO
Este libro usado
para su venta

ESTE MARBETE DEBE SER
[D]ESTRUIDO POR EL COMPRADOR

18.300

ACTA CAPITULI PROVINCIALIS

PROVINCIÆ S. JACOBI DE MEXICO,

CELEBRATI IN IMPERIALI SANCTI P. N DOMINICI *ejuſdem Civitatis Conventu, die undecima Maji anni milleſimi ſeptingenteſimi ſexageſimi quinti.*

SUB R. Adm. P. N.

Fr. NICOLAO TRONCOSO,

In Sacra Theologia Magiſtro, Sancti Officij Qualificatore, utriuſque Curiæ Procuratore, Capitulique Generalis Deffinitore, nunc autem ex Collegij Pontificij S P N. DOMINICI *de Porta-Cœli Rectore ſummo omnium conſenſu ad Provincialatus culmen aſſumpto.*

DEFFINIENTIBUS UNA CUM IPSO RR. Adm. PP. NN Fr PETRO MORENO, & Sañudo, in Sacra Theologia Magiſtro, utriuſque Curiæ Procuratore, & Generalis Capituli electo quondam Deffinitore ex natis in Hiſpania primo Deffinitore; Fr Michaële Rodriguez, in Sacra Theologia Magiſtro, in utraque Curia Procuratore, Capitulique Generalis pariter Deffinitore, Regia pro Mexicæa Univerſitate Theologo Doctore ex natis in Hiſpania ſecundo Deffinitore; Fr Cajetano Guerrero Generali Prædicatore, ac Conventus noſtri B M. V de Pietate ſtrictioris obſervantiæ Priore ex natis in Indijs tertio Deffinitore, & Fr Joanne Palmeros Prædicatore Generali ex natis in Indijs quarto Deffinitore.

Mexici: Ex Typographia Hæredum D. Mariæ de Rivera in viá S Bernardi.

RPJCB

:)-✠-(:

In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amèn.

ABSOLUTIONES.

Abſolvimus omnes Suppriores Conventuum, omneſque Vicarios, & Præſides Domorum hujus noſtræ Provinciæ.

DENUNTIATIONES.

1. DEnuntiamus: quod cum R. adm. P. N. Fr. Franciſcus Larrea in Sacra Theologia Magiſter, Sancti Officii Qualificator, pro utrâque Curiâ Procurator, Generaliſque Capituli electus Deffinitor, Mexicani tandem Archiepiſcopatus Synodalis Examinator, noſtræ hujus Provinciæ, quam ſtudio pervigili pro regulari diſciplina, accuratâ temporalium æconomiâ, invicto in alternativæ juribus vindicandis, ac juxta ipſius apices muniis diſtribuendis zelo, ſummâ tandem pace rexit, oneri, pariter & honori, poſt præſcriptum â noſtris legibus præſulatus quadriennium laudabiliter abſolutum, nuntium remiſiſſet, Vocales a Dominicâ Septuageſimæ, ut moris eſt, in hoc Imperiale S. P. N. Dominici Cœnobium pro eligendo Provinciæ Capite per encyclicas litteras adſciti, atque in Capitulo per campanulæ ſonum congregati, Præſide R. P. Fr. Franciſco Xaverio del Roſal ex-Lectore, Sancti Oficii Qualificatore, ejuſdemque Conventus meritiſſimo Priore, jure alternativæ, cæteriſque electionis Canonicæ ad amuſſim ſervatis regulis, communi ſuffragio, omniumque calculis, & plauſu in Paſtorali collocarunt ſpecula R. adm. P. N. Fr. Nicolaum Troncoſo in Indiis natum, in Sacra Theologia Magiſtrum, Sancti Officii Qualificatorem, utriuſque Curiæ Procuratorem, & Capituli Generalis Deffinitorem, Collegii tandem noſtri S. P. N D. de Porta-Cœli Rectorem, cui tamquam canonicè electo in filialis obedientiæ ſignum colla ſubmiſimus, quare, ut ejus promotio rata habeatur, noſtriq̃ Reverendiſſimi firmetur auctoritate, ſuppliciter poſtulamus.

2. Denuntiamus: die vigeſima quinta Junii anni 1761. litteras Rmî. N. M. G. nos ſuſcepiſſe, quibus electionem R. adm. P. N. Fr. Joſeph de Larrimbe (qui in pace requieſcat) in Provincialatus faſtigium confirmare fuit dignatus; aliæ item ſimiles litteræ ſub die undecima Februarii anni 1762. ad noſtras pervenere manus, R. adm. P. N. Fr. Franciſcum Larrea in eodem prælaturæ apice conſtitutum roborantes, roboratumque declarantes: quibus eâ, quâ par erat, humili reverentiâ parère, cordi, religionique duximus.

3. Denuntiamus: regium Catholicæ Majeſtatis decretum, Matritii die undecima Februarii anni 1761. datum, nobis exhibitum fuiſſe, quo ex conceſſione SS. D N Clementis Papæ XIII ad enixas totius Hiſpaniarum Regni Catholici nomine Regis Sanctitati ſuæ oblatas preces, decreto eidem inſertâ, præcipit, ut in omnibus ſuis Ditionibus, ac Regnis SS. Virginem Mariam in Conceptionis Immaculatæ Myſterio tamquam præcipuam univerſalem dictorum Regnorum, ac Dominiorum Patronam, ſine tamen præjudicio, aut detrimento cultus Sancto Jacobo Apoſtolo primævo Hiſpaniarum Patrono præſtandi, ſuſcipiant omnes, ac venerentur; ut autem SS. Virgini debitus reddatur cultus, utpote tam illuſtrium Regnorum Principali Protectrici, ſtatuit Sanctitas ſua, ut ejuſdem Myſterii Feſtum ſub ritu totius duplicis cum octava, cæteriſque prærogativis hujuſmodi Patronorum feſtis competentibus, & à Sede Apoſtolica approbatis per univerſum Clerum tam Sæcularem, quam Regularem, quomodolibet exemptum celebretur, quæ omnia executioni, ut juſtum erat, demandare ſtuduimus.

4. Denuntiamus: decretum aliud ſub die quarta decima Martii anni 1762, â Catholica pariter Majeſtate nobis directum fuiſſe, quo Domos, ac Paræcias SS. Apoſtolorum

Philippi, & Jacobi de Aztcapozalco, & Sancti Jacobi Apoſtoli de Quautlan noſtræ huic Provinciæ per annos viginti adjudicare dignatur; ad comprehendendam autem his imitibus Parochiarum prædictarum administrationem, eâ permotum ratione Regem Catholicum autumamus, quòd præfato temporis interſtitio quàm maximè diminuendum numerum Fratrum, pro quorum congruâ ſuſtentatione Provinciæ Domibus, Paræciiſque ſpoliatæ ſuppetere non poſſe redditus, Regio Indiarum Senatui fuerat à Nobis jure merito expoſitum, nullatenus ambigat: cui tamen, pro collato beneficio debitas rependentes grates reſpondimus, efficacius in futurum conſultum iri Catholicum Regem ſupernationibus in ante actâ repræſentatione allegatis, quo meliorandam in negotio ejuſmodi ſortem confidebamus.

5. Denuntiamus: die undecima Februarii anni 1762 litteras N. Rmî fuiſſe ad nos perlatas, quibus Sacram Rituum Congregationem annuente SS. Domino N. Clemente Papa XIII indulſiſſe perhibetur, ut Officium cum Miſſa de Communi Confeſſoris non Pontificis cum lectionibus tamen pro 2. Nocturno, & Oratione propriis de B. Sebaſtiano Maggio in Ordine noſtro celebretur; quem fælicem, fauſtumque diem calculo candido ſignare utique potuiſſemus, niſi extrema gaudii luctus occupaſſet, dum per alias P. S. Rmæ. ſub eodem die ſuſceptas litteras fuit nobis nunciata dolentiſſima mors Rmi. ac Emin. D. Cardinalis Sancti Syxti ex Ordine N. aſſumpti Fr. Joſeph Auguſtini Orſi, cujus egregia erga Ordinem merita, quem præſtantiſſimis publicæ luci datis ſcriptis Cardinalitiæ Dignitatis fulgoribus, aliiſque, quibus erat præditus, dotibus, ad ſummum ferè evexit honorem, in cauſa fuere, ut nedum ſuffragia ſecundum Ordinis morem, P que S. Rmæ. litterarum tenorem in tota hac Provincia pro eodem Eminentiſſimo peragerentur, verum & pro privato quiſque erga ejus memoriam affectu ſpecialiter miſericordi Deo commendandam ejus animam æſtimaret.

6 Denuntiamus: die vigeſima ſexta Julij anni 1763. litteras Rmi. P: M. Fr. Joannis Dominici de Villavechia, Vicarii, & Procuratoris Generalis Ordinis certiores nos reddidiſſe de publico teſtimonio á SS. D. N. Clemente Papa XIII. ſuper virtutibus Theologicis, & Cardinalibus Ven. Servi Dei Fr. Martini Porres Donati profeſſi O N. in gradu heroyco, ſolemniter prolato, quem fælicem nuntium, quaſi præambulum certæ, quam concepimus, ſpei, ipſum Ven. Dei Servum quàntocius aris donandum, non facile dictu eſt, quanto cordis jubilo exceperimus.

7. Denuntiamus: Excel. D. novæ hujus Hiſpaniæ Proregem conqueſtum de nobis ad inſtantiam Illuſtr. Mexicani Archiepiſcopi per ſchædulam fuiſſe, tamquam fidem datam à Prædeceſſoribus Provincialibus de Obſervando Regio Ferdinandi Sexti decreto ſuper non admittendis Novitiis ultra numerum Provinciæ redditus excedentem, data operâ infringeremus; quod quam à vero aberret, quamque ſuper plenè regalibus mandatis fuerit à nobis ſatisfactum, authenticis teſtimonis ex profeſſionum, defunctorumque Fratrum decerptis libris demonſtravimus, ejuſque rei geſta ad R. adm P. M. Provinciæ Procuratorem traſmiſſimus, ut Catholico Regi, ſi opus fuerit, N. que R mô. nota ſit cæca, quam erga Regia decreta profitemur, obedientia.

8. Denuntiamus: ab hac N. Provinciâ alienatam juſſu Excel. Proregis eſſe Domum, ac Paræciam Purificationis B. M. V. de Atlacoayan.

9. Denuntiamus: R. P. Fr. Antonium de Leon Hoſpitii Sancti Hyacinthi Provinciæ Philippinarum quondam Vicarium auctoritate (ut in aſſignatione præfertur) â N. Rmô. Vicariis ejuſmodi conceſſâ, ab hac N. Provinciâ removiſſe, prædictæque Philippinarum aſſignaſſe die decima Octobris anni 1763. Fr. Didacum Dominguez Converſum unum ex quindecim viris Religioſis, ex Hiſpania in elapſo mediatè Provincialatu tranſvectis; cum autem de auctoritate hujuſmodi, non levi ducti ratione, quam in prima ſupplicatione exponemus, extendatur necne ad Fratres ſumptibus Provinciæ ex Hiſpaniis tranſductos, dubitemus, Rmûm N enixe ſupplicamus, ut ſuper præfata aſſignatione decernere dignetur, quò quid in eventu ſimili præſtandum nobis in poſterum ſit, ſepoſito omni dubio innoteſcat.

10. Denuntiamus, inhærentes Ordinationi R. N. M. G. in confirmatione actorum Capituli Provincialis noſtræ hujus Provinciæ ſub data Romæ duodecima Auguſti anni 1758, nullum revera in tranſacto proximè Provincialatus quadriennio religioſum Virum

ex

ex Hiſpania ad noſtram Provinciam appuliſſe; in quo tamen inculpatum omnino æſti-
mamus R. adm. P. N. Ex-Provincialem, quippe qui in dies expectaret decem Fratres,
per hanc Provinciam â R. adm. P. M. Procuratore ſuo, ut tranſmitterentur, poſtulatos,
ut numerum complerent viginti quinque Religioſorum, pro quibus tranſvehendis ob-
tentam à Regio Indiarum Senatu licentiam, quinque ab hinc annis notum erat, ad quo-
rum decem Fratrum tranſmiſſionem R.R. adm. P.P. M.M. Capitalis ad hoc deſignati
Depoſitarii intra tempus tantum regiminis R. adm. P. N. Fr. Franciſci de Larrea ad
Europam remiſſére ſummam undecim millium ſcutorum (aut peſos) in depoſito Con-
ventus Sancti Thomæ Matritenſis aſſervandorum; quoaduſque tempus, ut in præſcri-
ptum finem expenderentur, opportunum adeſſet, & quia de ſecuritate Capitalis prædicti
procurandâ congruentiſſimè ſermo ſe offert, RR. N. exponimus, quatenus inſtituere in
ejus Depoſitarios dignetur ex natis in Hiſpania pro ſecundo, & tertio loco, cum ex præ-
dicta Natione ſolum in vivis agat R. adm P. M. præſentis Capituli Deffinitor Fr. Pe-
trus Moreno, & Sañudo præ omnibus pro præfato munere deſignatis, ex natis autem in
Indiis pro tertio loco nominare velit; primum etenim R. amd P. N. Prior Provincialis,
ſecundum vero R. P. Ex-Lector Fr. Petrus de Herboſo occupant locum.

11. Denuntiamus: â majore parte Capituli canonicè electos in Deffinitorem
quidem Capituli Generalis, Reverendum admodum P. Fr Joannem Petrum
de Yriarte in Sacra Theologia Magiſtrum in Hiſpaniâ natum, in ejus verò Socium, ſeu
quatenus opus ſit Electorem R. P. Ex-Lectorem, Sancti Officii Commiſſarium, regia pro
Univerſitate Mexicana Theologum Doctorem, hujuſque Imperialis Conventus prima-
rium Regentem Fr. Antonium Garcia, ſive Capitulum Generale proximè celebrandum
ſit Provincialium, ſivè Deffinitorum.

Denuntiamus ultimò R. adm. P. N. Fr. Franciſcum Larrea coram noſtro Deffi-
nitorio comparuiſſe, ut rationem redderet eorum, quæ durante Provinciæ regimine ab
ipſo ſunt geſta juxta Ordinationem Illuſtr. & Rmi. de Monroy Generalis quondam Or-
dinis Magiſtri, cum autem nullæ adverſus eum Fratrum querelæ fuerint exortæ, quini-
mo menſuram in omnibus ſive ſpiritualibus, ſive temporalibus adimplèſſe, numeriſque
omnibus abſolutum fuiſſe ipſius gubernium invenerimus, ejus præterea erga monaſticam
paupertatem obſervantiam demirati fuerimus, cum magno certe omnium noſtrum exem-
plo, cuncta, quorum uſum habebat, ad pedes Prælati ponens, ſe, ſuaque in ejus manibus
humiliter reſignarit, grates pro fælici regimine ipſi referri, N. que Rm. de his omnibus
certionem reddi, operæ pretium æſtimavimus.

ORDINATIONES.

1. ORdinamus, & denuò præcipimus, ut in tota hac noſtra Provincia ad amuſ-
ſim obſerventur acta, & Ordinationes Rmi. N. M. G. Fr. Joannis Tho-
mæ de Boxadors, â quibus ne latum quidem unguem fiat diſceſſus, in
memoriam revocamus, que in ante acto Cap. Provinciali anno 1761. ce-
lebrato fuere præſcripta.

2. Ordinamus, ut ſpiritualia exercitia, quæ ab omnibus N. O. Fratribus annuatim
fieri per decem dies præcipitur ſub pœna privationis vocis activæ Prioribus per varia Ca-
pitula Generalia impoſitâ, poſſint pluries á noſtris Religioſis peragi, & ultra annuale
præceptum de ſuorum reſpective Prælatorum licentia haberi, quoties rationabiliter pe-
titam ejuſmodi licentiam ſuperiores duxerint.

3. Ordinamus, & mandamus, ut ex ſex Confeſſariis inter horas Canonicas in no-
ſtro Imperiali Mexicano Conventu deputatis, duo, & duo, alternis ab antiquioribus in-
cipiendo ſtationibus, in Conventu per totam hebdomadam perſtent, quin extra ipſum
nullatenus egredi permittantur, quo Pænitentiæ Sacramentum miniſtrare ſint parati, quo-
ties vel ratione alicujus ſubitanei mortem imminentis periculi, vel infirmitatis, alia vè
quacumque de cauſâ ad Conventum noſtrum recurſum fieri contigerit: Caſu autem
quo prædicti duo Confeſſarii in excipiendis pænitentium hujuſmodi Confeſſionibus fue-
rint occupati, qui prior, etiamſi R. adm. P. N. Prior Provincialis ſit, urgenti neceſſita-

occ ti
us

occurrere poſſit, ad audiendam Confeſſionem citiſſime ſe accingat, cum hoc, & Ordinis decori, & Inſtituto noſtro, ut nempe *proximorum animabus poſſimus utiles eſſe*, apprimè conſentaneum judicemus: qui autem huic noſtræ Ordinationi contraire præſumpſerint, condignis ad arbitrium P. S. adm. R. puniantur pœnis.

4. Ordinamus, quod in aliis etiam Capitulis ſtatutum eſt, ut nulli conferatur titulus *Lectoris* niſi RR. PP. actu legentibus, quique pro gradu, & forma lecturæ finem impoſuerint: multo verò minus titulo *Magiſtri*, vel *Paternitatis admodum Reverendæ* inſigniri quemquam volumus, niſi eos, qui litteris patentibus Rmi. N. M. G. Magiſtrorum in Theologia caractere ſint ornati; ſed unicuique titulus gradui, quem in Ordine obtinet, proprius detur, ne Religioſæ hierarchiæ harmonia titulorum uſurpatione confuſioni ſit obnoxia; quod ſub pœnis præcipimus ad arbitrium R. adm. P. N. Prioris Provincialis refractariis infligendis, utque noſtra hæc ordinatio in tota hac Provincia ſarta tecta cuſtodiatur, R. etiam P. Rectori pro tempore Collegii N. de Porta-Cæli commendamus, ne in minimo quidem ipſam violari à ſuis ſubditis patiatur.

5. Ordinamus, ut omnes fratres N. hujus Imperialis Conventus, his duntaxat, qui vel ægritudine, vel aliis de licentia R. P. Prioris negotiis ſint detenti, B. M. V. Coronellæ, quæ immediate poſt veſpertinum ſalutationis Angelicæ ſignum coram ejuſdem Virginis SS. Imagine recitari conſuevit, avido dulciſſimum Mariæ nomen ſalutandi affectu adſint: à qua nullum, ſive Sacriſta, ſive Procurator, Commiſſarius vè SS. Roſarii ſit, exemptum volumus, utpote qui tunc temporis à ſuis muniis feriatos omnes cenſeamus.

6. Ordenamos, que la R. M. Priora, que al preſente es, y pro tempore fuere de el Convento de Santa Catharina de eſta Corte, haga cumplir, y obſervar lo diſpueſto, y mandado por N. M. R. P. M. Ex-Provincial. Fr. Franciſco de Larrea, con fecha de 10. de Agoſto de 1763 por convenir aſſi al buen nombre, decoro, y luſtre de eſſe N. Convento, y que dichas Ordenaciones ſe lean, como eſtà mandado, en las quatro Temporas del año.

SUPPLICATIONES.

CUM per nullum privilegium poſſit præjudicium aliquod tertio cuiquam generari, magnumque agnoſcamus poſſe Provinciæ noſtræ in poſterum irrogari, ſi Vicarii Hoſpitii S. Hyacinthi vigore prætenſæ authoritatis, de qua in denuntiatione 9. indiſcriminatim fratres, ſive in Indiis natos, ſive ex Hiſpania expenſis Provinciæ noſtræ tranſvectos, Provinciæ SS. Roſarii Philippinarum aſſignaverint, Rmûm P. N. enixè ſupplicamus, ut vel præfatum privilegium, ſi quod eſt, ad natos tantum in Indiis tranſferendos limitare, vel prædictam Philippinarum Provinciam obligatam declarare dignetur, ad compenſandos omnes, & ſingulos ſumptus in tranſvectione Hiſpanorum fratrum ab hac Provincia factos.

2. Obſecramus, iterantes ſupplicationem 8. Capituli præcedentis anno 1761. celebrati, ut Rmûs. N. ſuprema Ordinis authoritate ipſam ad praxim reduci jubeat, ut nempè quicumque in poſtulationibus ad gradus locum in uno Capitulo fuerit aſſecutus, nullatenus è ſua ſede in alio deturbetur, cum alias fieri non poſſit, ut unius Capituli poſtulationes cum alterius poſtulationibus Capituli cohæreant.

POSTULATIONES.

ORdinationibus RR. PP. MM. GG. Fr. Thomæ Turco, & Fr. Thomæ Ripol[l] obtemperantes, quibus nobis injungitur, ut in meritorum Judices, & arbitros ſeligantur duo ex MM. in hac Provincia acceptatis, ne in poſtulationibus fraudes querelæ, injuriævè obrepere valeant, delecti fuere ad hæc munia obeunda ex nati[s] quidem in Hiſpania R. adm. P. M. Fr. Didacus Maguete de Leon, ex natis autem in Indiis R. adm. P. M. Fr. Joſeph Dominicus Soſſa, qui poſt accuratam meritorum diſcuſſionem, de uniuſcujuſque exantlatis in Ordine laboribus fideliter informarunt.

O

Obſequentes pariter Ordinationibus Emin. ac Rmi. de Pipia G. quondam Ordinis M. pro graduandorum poſtulationibus, ac expoſitionibus, de Conſilio R.R. adm. P.P. M.M. ad id nobiſcum ſpecialiter congregatorum, Poſtulationes, ac expoſitiones æquo jure in ordinem digeſtas ſequentem damus.

PRO GRADIBUS ACTU VACANTIBUS.

PRO PRIMO MAGISTERIO *titulo lectionis.*

AD natos in Indiis ſpectante, actuque vacante ob mortem R. admodum P. N. Fr. Antonii Claudii de Villegas in Indiis nati, 1. poſtulamus R. P. Præſentatum Fr. Antonium Viar, & Larrimbe in Indiis natum, qui per triennium Philoſophiam, & per novennium Theologiam in N. Mexicano de Porta Cæli Collegio laudabiliter hoc ordine legit: etenim poſt biennium in Studentium Magiſt. expenſum, duobus Sacræ Scripturæ edocendæ, quinque autem morali, & Scholaſticæ Theologiæ tradendæ impensè vacavit annis; præfuit autem duodecies publicis tum Philoſophiæ, tum Theologiæ diſputationibus, ex quibus unam mane, & veſpere defendit: in N. tandem Mexicano Conventu primarius Regens 7. Menſium ſpatio perſtitit: ex quibus in agone litterario laboribus impenſis non paucam meſſem collegit; ex diſcipulis enim, qui ejus Scholas frequentarunt, tres ſunt Religioſi, qui Sacram Theologiam legère, ac quinque Sæculares pro Mexicæa Univerſitate Baccalaurei, quos inter unus Magiſter, & Doctor in eàdem Academia honoratur: ætatis 55. profeſſionis 39. præſentaturæ vero 17. enumerat annos.

2. Poſtulamus ex natis in Indiis R. P. Fr. Antonium de Arratia in Sacra Theologia Præſentatum, qui poſt Philoſophiam per triennium, moralemque Theologiam quinque menſium ſpatio in N. S. Roſæ de Sombrerete Conventu accuratè perlectam, ad Angelopol. Sancti Ludovici Collegium tranſlatus, annis ſeptem morali item Theologiæ, tribus verò in primaria Cathedra Scholaſticæ explicandæ ſedulam navavit operam, quo tempore publicis de ſcientia Dei theſibus propugnandis præſes adfuit: in N. tandem Mexicæo Conventu Sacram Scripturam per annum legit, tribuſque annis, & menſibus quinque Regentis Secundarii munus exercuit, quod & in Collegio N. de Porta-Cæli per annum alterum præſtitit, ætatis 73. profeſſionis 56. à præſentaturæ verò collatione 37. computat annos.

3. Poſtulamus R. P. Præſ. Fr. Emmanuelem Fletes in Indiis natum, qui triennali Artium Curſu in N. de Porta-Cæli Collegio legendo peracto, ibidem, inque N. Imperiali Mexicano Conventu tredecim annos in Sacræ Theologiæ Cathedris hoc ordine inſumpſit: biennio quippe Mag. Studentium onus ſubiit: mox Sacræ Scripturæ per annos quatuor, totidemque Primatiam Cathedram moderatus, morali Theologiæ edocendæ triennio incubuit, toto autem præſcriptæ lecturæ excurrente tempore quinquies Philoſophiæ; totidem Theologiæ defenſandis publicis theſibus præfuit, ex quo importuno labore duodecim diſcipulos genuit, quorum duo in Ordine Sacram Theologiam legerunt, reliqui decem regia pro Univerſitate ſunt Baccalaurei, ætatis habet 57. profeſ. 39. Preſ. autem 17.

PRO 2. MAGISTERIO TITULO LECTIONIS *ad natos in indiis pertinente.*

ACtuque vacante per mortem R. adm. P. N. Fr. Joſeph Larrimbe in Indiis nati.
1. Poſtulamus ex eadem Natione R. P. Præſ. Fr. Antonium de Arratia.
2. R. P. Præſentatum Fr. Emmanuelem Fletes.
3. R. P. Præſent. Fr. Antonium Mancilla, qui totum ſuæ lecturæ tempus in N. de

Por-

Porta-Cæli Collegio laudabiliter abſolvit: per triennium enim artium Lectoris, Magiſtri vero Studentium biennio munia obiit; quo temporis tractu Concluſiones Capitulares pro Collegio ſuſtentans propugnavit; ſacræ dein Theologiæ tradendæ admotus, duos in Sacræ Scripturæ expoſitione, reliquos ſex annos in primaria, & Veſpertina Cathedris regendis conſumpſit: pro ſui laboris uberrimo fructu quatuor ex fratribus percenſere liceat, doctrinæ ejus lacte enutritos, qui lecturæ jam diu trûm impoſuere, præter Seculares plures, qui pro Regia Univerſitate laurea donati, honorificeque fuère muniis decorati: Concluſionibus Philoſophicis, tum peculiares tractatus, tum facultatem totam complectentibus ſepties, quater autem Theologicis theſibus præcipuas Theologiæ partes concernentibus præfuit, præter Capitulares diſputationes, quas dum Regens primarius in prædicto Collegio degeret, quo in munere pluſquam quadriennio perduravit, publicâ omnium acclamatione defendit: quibus juremerito Rmûs. N. Bremondius permotus admonere Provinciam fuit dignatus, ne in poſtulationibus ad gradus tanti viri immemores eſſemus. Ætatis 56. profeſ. 31. præſ. verò 6. jam enumerat annum.

PRO 3. MAGISTERIO TITULO LECTIONIS *ad natos in Indiis attinente.*

Ctuque vacante ob mortem R. adm. P. M. Fr. Joannis de Arzeniega in Indiis nati. Primo poſtulamus R. P. Præſ. Fr. Emmanuelem Fletes, 2. R. P. Præſentatum Fr. Antonium Mancilla.

PRO MAGISTERIO TITULO PRÆDICATIONIS *ad natos in Indiis ſpectante.*

Ctuque vacante ob mortem R. adm. P. M. Fr. Antonii Caſimiri de Montenegro, unicè poſtulamus R. P. Fr. Joannem Zeballos, & Villagutierre in Sacra Theologia Præſentatum in Indiis natum, qui plures, quam tres quadrageſimas in Civitatibus Mexicana, & Angelopolitana auditorum plauſu declamavit; præter quàm plures panegyricos Sermones in eiſdem urbibus pari audientium fructu, & acclamatione habitos. Ætatis 66. profeſſionis 50. præſentaturæ autem 13 explevit annos.

PRO 1. PRÆSENTATURA TITULO LECTION. *ad natos in Indiis pertinente.*

Ctuque vacante per obitum R. P. Præſentati Fr. Joſeph Muñoz in Indiis nati. 1. Poſtulamus R. P. ex-Lectorem, ac Theologum Doctorem Fr. Joachim del Caſtillo Indianum, qui Philoſophico Curſu per triennium perlecto, Studentium Magiſter per æquale tempus eſt appellatus: mox Sacræ Theologiæ Lector renuntiatus, tribus in Sacræ Scripturæ, moralis Theologiæ totidem, quatuor autem in Scholaſticæ moderandis Cathedris perſtitit annis: Regentiam inſuper primariam per menſes undecim, ſecundariam verò per annos quatuor laudabiliter exercuit, totum autem præſcriptæ lecturæ tempus in N. Mexicano Cœnobio abſolvit. Ætatis 56. profeſ. 40. enumerat annum.

2. Poſtulamus R. P. ex-Lect. ac Theolog. Doct. Fr. Joſeph de Morales, qui lecturæ terminum hoc ordine attigit. In Conventu N. de Guadalaxara Philoſophicum ſtadium legendo percurrit, mox ad Imperiale Mexicanum Cœnobium tranſlatus, Sacram ibidem Scripturam per triennium expoſuit, totidemque annis in N. de Porta-Cæli Collegio Caſuiſticæ Theologiæ extricandæ operam dedit, primariam tandèm indeptus Cathedram, eamdem in præcitato Conventu Mexicano per triennium aliud dignè occupavit. Ætatis 57 profeſ. 40. decurrit annum.

3. Poſtulamus R. P. ex-Lectorem Fr. Petrum de Herboſo, qui poſt Philoſophicas diſciplinas per triennium laudabiliter traditas, in Studentium Magiſterio annos tres, duos in

Sacra

Sacra Scriptura, Moraliſque Theologia explanandis, duos item in primaria Cathedra regerda in N. de Porta-Cæli Collegio magno cum ſtudentium profectu expendit annos: mox ad Imperiale Cœnobium advectus, per annum Sacræ Paginæ, merumque Theologiæ per alium, Lectorem eximium egit: Completo lecturæ tempore per annum Secundarius Regens, Primarius verò per quinque in præfato Conventu ſubſtitit annos, quatuor ex ordine diſcipulos enutrivit, qui Sacram Theologiam legerunt, præter alios quatuor Sæculares Regia pro Univerſitate Baccalaureos: duodecies publicis Philoſophiæ, & Theologiæ theſibus præfuit, quibus Concluſiones Capitulares addimus in duobus elapſis Provincialibus Comitiis ab ipſo, dum Regens primarius eſſet, deffenſatas. Ætatis habet 46. profeſſionis 28.

PRO 2. PRÆSENTATURA TITULO LECTIO-
nis ad natos in Indiis ſpectante.

Actuque vacante ob mortem R. P. Præſ. Fr. Antonii Caſtellanos in Indiis nati 1. Poſtulamus ex eadem Natione R. P. ex-Lectorem, ac Theologum Doct. Fr. Joſeph Morales.

2. R. P. ex Lectorem Fr. Petrum de Herboſo.

3. R. P. ex-Lector. Sancti Officii Qualif. N. hujus Imperialis. Conventus Priorem, præſentiſque Capituli Præſidem Fr. Franciſcum Xaverium del Roſal in Indiis natum, qui in præcitato Cœnobio Philoſophiam per triennium, ſacram verò Theologiam per novennium hac methodo legit, triennio enim in ſtudentium Mag. peracto, ſex in tribus, Primaria nempe, Scripturæ Sacræ, Moraliſque Theologiæ regendis Cathedris, ſuo cuique biennio diſtributo, annos inſumpſit: in N. inſuper Pontificio de Porta-Cæli Collegio Secundarii munere Regentis, nullis laboribus pro ſtudiorum ardore promovendo cedens, per annos undecim functus eſt, ex quo recte computatis lecturæ annis, viginti, & trium annorum ſpatio in agone litterario ſe ſe exercuiſſe apparet. Ætatis prope 50. profeſſionis 34. complevit annos.

PRO 1. PRÆSENTATURA TITUL. LECTION.
ad natos in Indiis ſpectante ſi vacaverit.

Ob aſcenſum ad Magiſt. R. P. Præſ. Fr. Antonii Viar, & Larrimbe, vel alterius ex ſupra poſtulatis. Primo Poſtulamus R. P. ex-Lectorem Fr. Petrum de Herboſo.

2. R. P. ex-Lector. Sancti Officii Qualif. Imperialis hujus Conventus Priorem, præſentiſque Capituli Præſidem Fr. Franciſcum Xaverium del Roſal.

3. R. P. ex-Lect. Fr. Ferdinandum de Aviles, qui in Conventu N. Sanctæ Roſæ de Sombrerete per triennium Philoſophiam, per præſcriptum autem novennii tempus Sacram Theologiam, tam in Veſpertina, quam in Primaria Cathedra laudabiliter legit. Ætatis habet 57. prof. 41.

PRO 2. PRÆSENT. TITULO LECTIONIS
ad natos in Indiis pertinente, ſi vacaverit.

Ob aſcenſum ad Magiſt. R. P. Præſ. Fr. Antonii de Arratia, vel alterius ex ſupra poſtulatis. 1 Poſtulamus R. P. ex-Lect. Sancti Officii Qualif. Imperialis hujus Conventus Priorem, præſentiſque Capituli Præſidem Fr. Franciſcum Xaverium del Roſal.

2. R. P. Fr. Ferdinandum Aviles ex-Lectorem.

3. R. P. ex-Lectorem, hujuſque Conventus Suppriorem Fr. Emmanuelem Caſtellanos, qui in N. pariter de Sombrerete Conventu poſt artium Curſum, per triennium traditum, tribus in ſtudentium Magiſterio, ſex autem in primaria, Veſpertina, Sacræ, item Scripturæ, moderandis Cathedris ſubſtitit annis. Ætatis 55. profeſſionis 39. numerat annos.

PRO 3. PRÆSENT. TITULO LECTIONIS *ad natos in Indiis ſpectante, ſi vacaverit.*

OB aſcenſum ad Magiſterium R. P. Præſentati Fr. Emmanuelis Fletes in Indiis nati, vel alterius ex ſupra poſtulatis. 1. Poſtulamus R. P. ex Lectorem Fr. Ferdinandum de Aviles.

2. R. P ex-Lectorem, hujuſque Conventus Suppriorem Fr. Emmanuelem Caſtellanos.

3. R. P ex-Lectorem, Sanctique Officii Qualif. Fr. Joſephum Georgium de Alfaro, qui poſt Philoſophicum ſtadium in N. de Sombrerete Conventu per triennium edocendo decurſum, ad primariam ejuſdem Generalis Studii Regentiam, quam annis ſex digne occupavit, adminiſtrandam fuit aſſumptus; mox ad N. de Porta-Cæli Collegium tranſlatus, annis quatuor ſacræ exponendæ Scripturæ incubuit; præſidit autem quinquies publicis propugnandis theſibus. Ætatis 49. profeſ. 29. annos complevit.

PRO 1. PRÆSENT. TITULO LECTIONIS *ad Natos in Hiſpania attinente, actuque vacante.*

OB aſcenſum ad Magiſterium R. adm. P. N. M. exProvincialis Fr Franciſci de Larrea in Hiſpania Nati. 1. Poſtulamus R. P. ex-Lectorem, N que Conventus Sanctæ Crucis de Zacatecas Priorem, Vicariumque Provincialem Fr. Joannem Juncoſa; qui in ſua Aragoniæ Provincia duodecim annos legendo hoc ordine inſumpſit; duos nempe in Artium lectione, duos in Studentium Magiſterio, duos in Sacræ Scripturæ expoſitione, quatuor autem in Cathedra Moralis Theologiæ in Conventu Sanctæ Catharinæ V. & M. Barchinonenſi, pro quo fuit profeſſus; in Conventu verò Sancti Jacobi de Tremps Magiſtri Studentium munus biennio obiit: ad hanc tandem Provinciam tranſvectus, Regentis Secundarii per annum, & menſes ſex in N. Mexicano Cœnobio onus ſubiit: Ætatis 43. profeſ. 25. computat annos.

2. R. P. ex-Lectorem Provinciæ Secretarium, & Socium Fr. Joannem Antonium Fernandez, qui in Conventu Regali D. N. de Atocha Matritenſi, ubi profeſſionem emiſſit, per annos novem Artium Lectoris munus adeo uberi Diſcipulorum profectu geſſit, ut quam plures ex ipſis in Hiſpaniæ Provinciâ Sacram jam diu Theologiam legant: ad noſtram mox Provinciam tranſlatus, poſt Sacram Scripturam in hoc Imper. Cœnobio per annum perlectam, ſeptimum jam in Theologiæ Scholaſticæ Cathedrâ, tum publicis, tum privatis facultatis ejuſdem theſibus propugnandis intentus, in N. de Porta-Cæli Collegio annum enumerabat; cum Regentis Primarii ipſius Collegii condigno fuit munere ornatus, quod per dimidium annum ita ſolerter obivit; ut demandatum ipſi á Superioribus fuerit, quatenus Capitularibus Concluſionibus pro ſupra-dicto Collegio præeſſe, non detrectaret, quod & omnium plauſu præſtitit. Ætatis 41. profeſſionis 24. enumerat annum.

3. R. P. Fr. Hyeronimum Camps ex-Lectorem, & Conventus N. Sanctæ Roſæ de Sombrerete Priorem, Vicariumque Provincialem; qui in Conventu Sancti Jacobi de Tremps Philoſophiæ tradendæ triennio, biennio autem Studentium Magiſterio exercendo, ita ſolerter vacavit, ut tractatum etiam Theologicum interea temporis ſuis auditoribus prælegerit, poſt modum ad ſuum S. Catharinæ V. & Martyris Barchinonenſem Conventum redux, Magiſterium item ſtudentium per annum integrum, indefesè laborando, obtinuit: in N. verò Provinciâ poſt Regentis Primarii munus laudabilitèr in Pontificio de Porta-Cæli Collegio per annos tres, & menſes quatuor peractum, Regens pariter Primarius per idem ferè tempus in Imperiali Mexicano Cœnobio ſubſtitit vigil; præfuit autem duabus publicis Theologicis Diſputationibus in utroque mediatè elapſo Provinciali Capitulo pro N. ſupradicto Collegio habitis. Ætatis 39. profeſ. 21. numerat annos.

PRO 2. PRÆSENT. TITULO LECTIONIS ad Natos in Hiſpania pertinente.

A Ctuque vacante ob aſcenſum ad Magiſterium R. adm. P. M. Doctoris Theologi, præſentiſque Capituli Deffinitoris Fr. Michaëlis Rodriguez in Hiſpania nati. 1. Poſtulamus R. P. ex-Lectorem, Provinciæ Secretarium, & Socium Fr. Joannem Antonium Fernandez.

2. R. P. ex-Lectorem, Conventus N. de Sombrerete Priorem, Vicariumque Provincialem Fr. Hieronymum Camps.

3. R. P. Conventus SS. Roſarii de Guadalaxara Primarium Regentem Fr. Stephanum de Gamero, qui poſt Philoſophiam triennio, Sacramque Scripturam biennio in præfato Conventu perlectam, octo, & amplius ab hinc annis Primarius ibidem Regens perſiſtit. Ætatis 39. profeſſ. 19. computat annos.

PRO 3. PRÆSENT. TITULO LECTIONIS ad natos in Hiſpania ſpectante.

A Ctuque vacante ob aſcenſum ad Magiſterium R. adm. P. M. Fr. Felicis Sanchez Hiſpani nunc vitâ functi. 1. Poſtulamus R. P. ex-Lector. Conventus N. de Sombrerete Priorem, Vicariumque Provincialem Fr. Hieronymum Camps.

2. R. P. Regentem primarium Fr. Stephanum de Gamero.

3. R. P. Lectorem Fr. Andræam de la Mota in Hiſpania natum, qui in N. de Guadalaxara Conventu Philoſophiam per annos tres, per duos verò Sacram Scripturam, Moralemque per idem tempus Theologiam laudabiliter legit. Primariam poſtmodum Cathedram adeptus, quatuor ab hinc annis ipſam moderatur. Ætatis habet 37. profeſ. autem 17. annos.

PRO 4. PRÆSENT. TITULO LECTIONIS ad natos in Hiſpania ſpectante.

A Ctuque vacante ob aſcenſum ad Magiſterium R. adm. P. N. M. Provincialis Fr. Nicolai de Troncoſo in Indiis nati. 1. Poſtulamus R. P. 1. Regentem Fr. Stephanum de Gamero.

2. R. P. Lectorem Fr. Andræam de la Mota.

3. R. P. ex-Lectorem, Sancti Officii Qualificatorem, Archiepiſcopatus Mexicani, Epiſcopatuſque Durangenſis Synodalem Examinatorem Fr. Joſephum Joachimum Ramonell Majoricenſem, qui in Regio Conventu de la Palma, cujus eſt filius, Philoſophiam accuratè per triennium legit, vique oppoſitionis, ad legendam Sacram Theologiam approbationem ibidem meruit, in N. vero Provinciâ octo, & amplius annorum ſpatio Regentis Primarii munere in N. de Sombrerete Conventu fuit perfunctus, Ætatis 43 profeſ. 25. numerat annos.

PRO 5. PRÆSENT. TITULO LECTIONIS ad natos in Hiſpania attinente.

A Ctuque vacante ob aſcenſum ad Magiſterium R. adm. P. M. Cap. Generalis Deffinitoris Fr. Joannis Petri de Yriarte in Hiſpania nati. 1. Poſtulamus R. P. Lectorem Fr. Andræam de la Mota.

2. R. P. ex-Lectorem Fr. Joſephum Joachimum Ramonell.

3. R. P. Lectorem, Theologumque Doctorem Fr. Joſephum Gomez, & Figueroa, qui poſt quam lectioni artium in hoc Mexicano Cœnobio per triennium operam dedit, duos

in Studentium Magiſterio, quo tempore Concluſiones Capitulares ſuſtentavit. quatuorque in Theologiæ tum moralis, tum Scholaſticæ Cathedris annos conſumpſit. Ætatis 34. â profeſ. 16. annos, & ſex enumerat menſes.

PRO 6. PRÆSENT. TITULO LECTIONIS *ad natos in Hiſpania ſpectante.*

Actuque vacante ob aſcenſum ad Magiſterium R. adm. P. M. Theologi Doctoris Fr. Joſeph Dominici Soſſa in Indiis nati. 1. Poſtulamus R. P. ex-Lectorem Fr. Joſephum Joachimum Ramonell.

2. R. P. Lectorem, & Theologum Doctorem Fr. Joſeph Gomez, & Figueroa.

3. R. P. Lectorem Fr. Ignatium Gentil, qui poſtquam in Conventu SS. Roſarii, & S. P. N. Dominici Gaditano, pro quo eſt profeſſus & in quo ſtudentatum ſuperabundanter abſolvit, artium lectioni per annos quinque laudabiliter incubuiſſet, ad noſtram deportatus Provinciam, biennium in Studentium Magiſterio; in Theologiæ autem Moralis, Sacræque Scripturæ Cathedris biennium item peregit in N. de Porta-Cœli Collegio, ubi & Lecturæ tempus proſequitur. Ætatis 33. profeſſionis vero 16. numerat annos.

PRO UNICA PRÆSENTATURA TITULO *Prædicationis ad natos in Indiis ſpectante.*

Actuque vacante per mortem R. P. Præſentati Fr. Emmanuelis de Zeballos in Indiis nati. 1. Poſtulamus R. P. Præd. Gen. Fr. Franciſcum Diaz Leal Vicarium, ac Parochum Domus N. S. P. Dominici de Chimalhuacan = Atenco, qui emenſo Studiorum curriculo 37. Quadrageſimas (ſeu tandas) in oppido ſuæ Parœciæ fructuoſe prædicavit: Ætatis 76. profeſ. 55. numerat annos.

2. R. P. Præd. Gen. Fr. Vincentium Caſtrejon Vicarium, & Parochum Domus N. Sancti Joannis Baptiſtæ de Tenanco, qui ſex annorum ſpatio ſtudentatu peracto 31. abhinc annis in Parochi munere vigilanter ſe ſe exercet, animas ſibi concreditas paſcens Verbo Doctrinæ, quam in oppido ſuæ Parochiæ tan Mexicano, quam Hiſpano Idiomate in 16. Quadrageſimis, quas declamavit, auditoribus propinavit: ab ortu 57. â prof. 41. á Præd. collatione 13. computat annos.

3. R. P. Præd Gener, Conventuſque N. SS. Roſarii de Guadalaxara Priorem Fr. Joſeph Morales, qui ſtudiis abſolutis 17. Quadrageſimas in bonis Civitatibus peroravit, præter ducentos Panegyricos Sermones, quos audientium plauſu, animarumque profectu habuit: Ætatis 59. profeſſ. 42. Prædic. Gen. 24 numerat annos: unde inter Prædicatores Generales antiquitatis Primatum obtinet.

PRO PRÆSENTATURA TITULO PRÆDIC. *ad natos in Indiis ſpectante, ſi vacaverit.*

Ob aſcenſum ad Magiſterium R. P. Præſ. Fr. Joannis de Zeballos, & Villagutierre in Indiis nati: 1. ex eadem Natione poſtulamus R. P. Præd. Gen. N.que Conventus SS. Roſarii de Guadalaxara Priorem Fr. Joſeph Morales.

2. R. P. Præd. Gen. præſentiſque Cap. Deffinitorem Fr. Joannem Palmeros; qui 27. Quadrageſimas; alioſque quam plures tum Morales, tum Panegyricos prædicavit Sermones, dum Cœnobii hujus Conventualem Prædicatorem ex obedientiâ ageret: Ætatis 69. profeſ. 43. Prædicatoris Gen. 15. percenſet annos.

3. R. P. Præd. Gen. præſentis Cap. Deffinitorem, Conventuſque N. de Pietate Strictioris obſervantiæ Priorem Fr. Cajetanum Guerrero, qui in oppidis, in quibus Vicarii munia obiit, plures, quam tres Quadrageſimas, non paucos item Panegyricos Sermones tam Mexici, quam in locis eiſdem laudabiliter declamavit: Ætatis 56. prof. 35.

Gen.

Gen. Prædic 15. complevit annos: hos autem pro 2, & 3. loco ideo poſtulavimus, etſi Cap. præſentis Deffinitores, quia in Anteriori Capitulo pro hâc Præſentaturâ locus eis conceſſus fuerat.

PRO 1. PRÆDICATURA TITULO LINGUÆ *ad natos in Indiis attinente.*

ACtuque vacante per mortem R. P. Præd. Gen. Fr. Iſidori de Leon in Indiis nati. 1. Poſtulamus R. P. Fr. Antonium Bargas Domus N. Sancti Jacobi de Quautlan impræſentiarum Parochum, qui ſtudiis peractis, Parochiali applicitus muneri, animarum zelo per annos octo formidandum ſubiit onus, quod etiam nunc pari ſpiritus ardore in præcitatâ Parochiâ ferre non recuſat: 33. Quadrageſimas, (ſeù tandas) in oppidis ſuarum Parœciarum peroravit, præter duas Miſſiones; & ducentos Panegyricos Sermones variis in locis habitos; per omnes inſuper Dominicos dies, in majoribuſque ſolemnitatibus devotionem SS. Roſarii ſpeciali ſtudio aliquot annis fidelibus perſuaſit: Ætatis 50, profeſ. 28 adimplevit annos.

2. R. P. Fr. Franciſcum Ribera vigilantiſſimum quondam Parochum, qui poſt annos ſeptem in ſcholis conſumptos, ſexdecim annis, menſibuſque ſex. Parochiali miniſterio totis medullis incubuit; linguamque Mexicanam in hoc Imperiali Cœnobio ex Cathedra docuit; quatuor in oppido ſuæ Parœciæ, totidem in Villa Sancti Michaëlis, ubi Dei Verbum fidelibus annunciando quadriennio perſtitit, Quadrageſimas fructuosè prædicavit. Ætatis 51 â profeſſione 34. percenſuit annos.

3. R. P. Fr. Salvatorem de Villafaña, Vicarium, ac Parochum Domus N. Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Teperlaſtoc, qui litteratum emenſo curriculo 13. Quadrageſimas antequam animarum curam gereret; laudabiliter Mexici declamavit; Parochi poſtea adauctus munere, viginti ſex *tandas* in Parochiis ſuis Mexicano Idiomate peroravit, præter quam plures alios Sermones jam ibidem, jam Mexici, ubi Conventualis Prædicator vixit, laudabiliter habitos: ab ortu 62. á profeſ. 43. enumerat annos.

PRO 2. PRÆDICATURA TITULO LINGUÆ *ad natos in Indiis ſpectante.*

ACtuque vacante ob mortem R. P. Gen. Præd. Fr. Petri Garcia in Indiis nati. 1. Poſtulamus R. P. Fr. Franciſcum Ribera.

2. R. P. Fr. Salvatorem de Villafaña.

3. R. P. Fr. Joannem Gorroſtieta, qui Studiorum Curſu conſummato viginti, & tribus annis Parochiali muneri ſedulam navavit operam, totidemque Quadrageſimas in oppido ſuæ Parœciæ animarum zelo prædicavit: quin etiam in edocendo Indos Fidei myſteria etiam nunc perſiſtit. Ætatis 57. profeſ. 37. numerat annos.

PRO 3. PRÆDICATURA TITULO LINGUÆ *ad natos in indiis pertinente ſi vacaverit.*

OB aſcenſum ad Præſentaturam R. P. Præd. Gener. Fr. Franciſci Diaz, & Leal, vel alicujus ex ſupra poſtulatis. 1. Poſtulamus R. P. Fr. Salvatorem Villafaña.

2. R. P. Fr Joannem Gorroſtieta.

